

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Universitatis Lipsiensis, Ad Orationem De Pietate In Christo Nato, Eaque Sola Deo Grata, Feriali. Nativitatis Christi, In Templo Academico Hora ...

Zschau, Johann Andreas

[Leipzig], [1719?]

VD18 13541102

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:oby:ha33-1-200426



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lips. pasch. it. Jen. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Harthiana Helmst.
5. Heinecc. de aera nativ. Christi
6. Bel Hist. Linguae Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

10. 1 (10)
14

RECTOR
UNIVERSITATIS LIPSIENSIS,
AD
ORATIONEM
DE
PIETATE
IN
CHRISTO NATO,
EAQVE SOLA DEO GRATA,
FERIAI. NATIVITATIS CHRISTI,
IN
TEMPLO ACADEMICO
HORA XII. POMERIDIANA
AUSCULTANDAM INVITAT.

65 M



- I** Tempus Adventus Messiae, post plura secula futuri, Spiritu Prophetico impulsus Jacobus, annosus senex prædixit cognoscendum, cum Rex a tribu Judæ, aut Dux à seris posteris ablatu esset Genes. XLIX, 10. Propius tempus Adventus anxie expectati Daniel Propheta c. IX, 24-27. ab Angelo revelatum indicavit. Patriam nascendi nominavit Propheta Micha Cap. V, 1. Quod vaticinium repetitum legitur
- 2 Matth. II, 6. in verbis varium, sensu idem. Prædixerat Propheta Judæis iterum calamitosissimam vastationem ab Assyriis inferendam, atque probra contumeliasque, quibus Regem & primores populi excepturi illi erant. Cum ergo omnia conclamata viderentur, solaturus captivos promittit restitutionem Politicæ, in qua non tantum Hierosolyma restauraretur, sed & aliæ civitates reedificarentur, interque eas præcipue Bethlehem, patria Messiae. Observamus ergo primo allocutionem patheticam, deinde statum ejus, tum proprium, tum adventitium. Alloquitur Propheta oppidum: **וְנַתַּתִּי בֵּית-לֶחֶם מִפְּרִתָּי** Et tu Bethlehem Ephrata. Targum textum Hebræum presse secutum est. **אֶתְרָה** præter morem enunciatur genere masculino de nomine foeminino urbis, quod ad hunc locum, ejusque populum verba DEI adstringantur, monente Markio in Commentario, ex qua causa etiam masculina, tum pronomina tum adjectivum illi respondent. Nomen Bethlehem compositum est apud Hebræos ex vocibus **בַּיִת** domus, & **לֶחֶם** panis. Unde Athanasius & Græci Patres alii **ὄνομα τῆς ἀρτοποιίας**, Hieronymus Latinique multi Domum Panis interpretati sunt, ac inde ad meditationem sanctam ducti de Pane illo cœlesti & vivifico Christo in ea urbe prodituro. Obtinuit autem nomen oppidum a fertili & uberrimo solo. Id confirmat nomen Ephrata, frugifera, a **פֶּרֶרָה** fructum ferre, antiquum Genes. XXXV, 19. XLVIII, 7. additum hic, ad discernendam hanc urbem in Judæa ab altera in Galilæa, & tribu Zebulon Jos. XIX, 15. & Jud. XII, 8. 10. nam hic ponitur sine additione, quæ apposita legitur urbi in Judæa appellatæ Bethlehem Juda Jud. XIX, 1. 2. Ruth I, 1. 2. Interpretationem Domus Panis Græcæ Versioni insertam observavit Drusius, ommissa imperite Syllaba: **βηθλεὴμ ὁ οἶκος τῆς** (legen-

(legendum *ἄρρα*) *Ευφρατά*. In Matth. Cap. II, 6. pro Bethlehem Ephratā est *βηθλεὴμ γῆ Ἰούδα*, Bethlehem terra Juda. Retinuit Evangelista hanc & cæteras mutationes a textu Hebræo verbis abeuntes, ei tamen non contrarias, fidem historicam servans. Voluerunt enim primarii Sacerdotes & Scribæ populi ab Herode convocati & interrogati de loco natali Messæ hæcenus notius nomen usurpare. Diçta est urbs Bethlehem appositively *γῆ Ἰούδα*: significat hæc appellatio propriè terræ portionem, quæ sortim obtigerat tribui Judæ, sicuti *γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Ναφθαλὶμ* nominantur Matth. IV, 15. deinde per Synecdochen totius oppidum in terra Judæ situm, prout dicitur *γῆ Σοδομῶν καὶ Γομόρρων*, cap. X, 15. 24. Approbat Glasius Rhetor. Sacr. Tr. I. cap. XVI. & plura exempla afferens Grotius in Annot. super Matth. Alii malunt subesse ellipsin præpositionis *ἐν*; in terra Judæ; quomodo Syrus vertit: Bethlehem *בְּתֵלְהֶם* Judææ, & Matthæus v. l. in Bethlehem (civitate) *τῆς Ἰουδαίας*; Lucas cap. II. apposite vocat *πόλιν Δαβὶδ*, ut indicaret eam urbem esse, in qua natus & educatus fuit Rex David, indeque domum ejus & familiam originem ducere. Distantiam ab Hierosolyma, vix esse qui majorem faciat sesquimilliarium, seu sex milliaribus Italicis, observat D. Ægid. Strauch in Dissertatione Historico-Geographico, de Bethlehem Patria Messæ §. 9. Hujus nunc conditio aut status describitur partim proprius, partim adventitius. Proprius in Propheta: *וְתֵלְהֶם כְּעֶבְרָתִי* Vulgatus Latinus reddit: Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: In Evangelista: *ἐλαχίστη ἐστὶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα*. Ubi Latinus: nequaquam minima es in millibus Juda. In his Propheta Evangelistam contradicere Judæi blasphemant. Hieronymus hic in Micham commentatus rectè deseruit asserentes, in omnibus pene testimoniis, quæ de Vet. Test. sumuntur, esse errorem, ut aut ordo mutetur, aut verba, & interdum quoque sensus diversus sit: Vel Apostolis & Evangelistis non ex libro carpentibus testimonia, sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur, cum Librorum Sacrorum infalibilitatem tollant. Quod autem ipse Hieronymus arbitratur, Matthæum volentem arguere Scribarum & Sacerdotum Divinæ Scripturæ negligentiam, sic etiam posuisse, ut ab iis dictum est, fallitur: Temere etiam Richardus Simonius conjecit in Historiæ Criticæ Textus Novi Testamenti Cap. XXII. Judaicos Doctores retulisse illud comma secundum glossas, quæ eo tempore populo prælectæ fuerint, nulla ratione habita textus Hebræi, quem non nisi Docti intellexerint, refutatus a D. Majo in Examine p. 287. Bene convenit inter textum Græcum & Hebræum, sive Evangelista interpres fuerit, sive retulerit verba, quibus Scribæ Herodi responderunt. Diversæ tamen conciliandi rationes occurrunt in Interpretibus. Prior classis est eorum, qui conditionem aut statum proprium vilem, ignobilem, inglorium, futurum & adventitium, illustrem

- stem & gloriosum significari putant: posterior illorum, qui statum proprium nobilem & gloriosum, adventitium gloriosissimum existimant. Explicationes ergo adversas præcipuas adducemus, plerasque tolerabiles.
- 8 De conditione propria vili, ignobili & ingloria primo explicantur verba dicta diverso respectu: Etsi tu, Bethlehem, longe sis minor, quam ut præfecturam millenariam implere possis, nihilominus ex te proditurus est Dux Israël. Ita Chryostomus, Theodoretus, Theophylactus; e Papistis Lyra, Alphonfus a Castro, Cornelius a Lapide, Menochius, Sanctius, Estius; e Nostris Hunnius & Grauerus nominati a Pfeiffero in Dubiis Vexatis. Idem videntur velle LXX. Viralis versio, ἀλιγοὺς εἶ, τὴ εἶναι ἐν χιλιάσιν ἰσάδα, & Paraphrasis Chaldaica: quæ parva fuisti, ut computareris inter millia domus Jehudæ. Addendi Rabb ni David Kimchi, Salomo Jarchi, Abarbenel apud Frischmuthum in Dissertat. ex Mich. V. 1. Cap. 1. §. 7. & 9. & in Harmonia Michæ V. 1. & Matth. II. 6. §. II. qui Keslerum consentientem allegat, monetque contra Judæos, Matthæum ita sensum Prophetæ potuisse exprimere, & sic nullam inter eos esse discordiam. Quem conciliandi modum convenientem judicavit Strauch. de Patria Messæ §. 21. secuti sunt Jacob Basnagius in Historia & Religione Judæorum Tomo III. libro IV. cap. XXIII. Surenhusius in מפרש המשנה in Conciliationibus in Loca ex V. T. apud Matthæum allegata p. 173. Improbavit vero post D. Ananiam Weberum & D. Danielem Henrici, Theologos quondam nostros, in Dissertationibus ad Michæa locum D. Pfeiffer p. 856. in Dubiis.
- 9 Secundo alii ἥσιν attendi volunt ad diversa tempora: Prophetam loqui de suo tempore, quo minima fuerit Bethlehem, cum essent complures aliæ nobiles & claræ urbes in tribu Juda: Matthæum de suo, quo potiores excisæ. Sic sentientes adduxit & refutavit Spanheimius Parte II. Dubiorum Evangelicor. XLV. §. 5. rejiciuntque Weberus, Henrici, Pfeifferus.
- 10 Tertio Erasmus in Annotat. hyperbolice verba Matthæi vult explicari, & ita cum verbis Michæ conciliari, hoc sensu: adeo quidem exigua es & parva civitas, ut ne minima quidem vocari propemodum possis inter principes Judæ, perinde ac si extremæ notæ hominem negemus esse in hominum numero: & quemadmodum Paulus supra modum contempta vocat ea, quæ non sunt. Conjecturam Erasmi arbitratur Franc. Gomarus juvari ac corrigi non nihil posse, ut expressior sit convenientia, si etiam sine hyperbole expositio fiat: parva es, seu minor es, quam ut sis inter Duces Judæ. Strauchio in Dissertat. de Patria Messæ §. 18. ingeniose contorta explicatio visa est, cui obstant verba Prophetæ affirmantia, minima es: obstat particula αἰτιολογικὴ γὰρ quæ non cohæreat.
- 11 Isti priori classi adversatur posterior Interpretum, qui ex sensu verborum in Propheta & Evangelista gloriosam conditionem præsentem,

tem, & futuram gloriosissimam eliciunt: simili ratione, qua DEus promisit Judæis per Haggæum Cap II, 9. majorem gloriam templi posterioris, quam fuerat illius prioris. Sed etiã isti Explanatores inter sedissent & discordant.

Primo multis commodissima ratio conciliandi Micham & Matthæum visa est, si nomini מִיכָאֵל præponatur ׀ interrogativum, quomodo versio prodit: Tu vero Bethlehem Ephrata, an parva tibi res videtur, recenseri inter reliquas Judæ civitates? Respondetur Prophetæ apud Matthæum: nequaquam minima es in Ducibus Judæ. Auctores recensuit Pfeifferus Pontificios, Jansenium, Riberam, Conzenium: ex Nostri Joh. Tarnovium, Glassium, Dannhauerum, Danielelem Henrici: quibus annumerandi Martin Chemnitius & Ananias Weberus: ex Reformatis Drusium; cui adjungendi Ludov. de Dieu, Grotius, Spanhemius, Surenhusius. Hac explicatione usus erat Bellarminus lib. II. cap. XII. de Verbo DEI, sed in Recognitione Libris Controversiarum præmissa eam rejecit, quod neque in textu Hebræo, neque Græco, nec Latino interrogationis signum appareret: atque ad primam sententiam in priore classe num. 8. relatam accessit. Hujusve vero interrogationis modos per ellipsin ׀ interrogativi necessario supplendos plures collegit Glassius Philolog. S. lib. IV. Tract. I. Observ. I. Nos exempla quædam ex Surenhusio adscribemus. Job. XL, 15. an extrahes Leviathanem hamo, aut fune, quem demerserit lingua ejus? Cap. XIII, 15. si me necaret, non sperarem? Et Paraphrastes Chaldæus, quando Lamechus uxoribus juxta Hebræum textum dixerat: nam virum occiderem propter vulnus, & puerum ob pustulam mihi illatam, vertit: an occidi virum, ob quem ego portaturus sum culpam? an juvenem vulneravi, ob quem semen meum interiret? In uno Codice Stephani in Millii variantibus Lectionibus in Matthæo legitur: μη ἰλαχίση εἶ; interrogative.

Secundo sunt, qui ׀ adverbialiter transferunt *Parum*. Parum est, ut sis in millibus Juda. Hoc in Matthæo expressum est negative: nequaquam minima es in millibus Judæ. Sic Andreas & Lucas Osiandri, Urbanus Regius, Johan. Försterus, Lutherus ipse hanc explicationem sibi non displicere scribens Tomo IV. Jenens. Latino fol. 558. Arias Montanus, Schindlerus, Abraham Scultetus, Erasmus Schmidius, Episcopus Arminianus apud Strauchium de Patria Messæ §. 20. Licet vero Maldonatus, Cornelius Jansenius, Christophorus a Castro, Cornelius a Lapide Pontificii; Caninius, Spanhemius Reformati multa in ea desiderent, Ananias Weberus Noster subtilem & ingeniosam, sed parum solidam declaret, Strauchius tamen suo loco relinquere maluit, quam temere contra eam definire, propugnaruntque Ludov. de Dieu, D. Henrici, Hackspanius, Henr. Höpfner in Commentar. MSS. in Micham, Pfeifferus etiam in Decisione nullam commodiorem conciliationem esse asseruit, quam si

- vox צעיר capiatur adverbialiter, & Sebast. Schmidius juxta eam latine vertit: Parum est, ut sis inter millenas Judæ.
- 13 Tertio simplicissima ratio dissensum tollendi visa est aliis, si צעיר pro neutro accipiatur, idemque denotet ac parvum, vel rem parvam hoc sensu: Et tu Bethlehem Ephrata parvum est ut sis inter Chiliarchas Judæ. Quam expositionem fundatam in Hebraismo, qui genus neutrum, quo Hebræi carent, non tantum foeminino sed & non raro masculino genere exprimit, prætulerunt cæteris Waltherus in Harmon. Weberus, Lightfoot in Horis Hebraicis, J. B. Carpzov. in Harmonia Evangelico-Biblica Festo Epiphan. p. 225. indicans similem loquendi modum Esa. XLIX, 6. approbansque Lightfooti observationem, Chaldæum Interpreterem, inter Assesores tunc Synedrii, locum Michæ ita transtulisse. Grotius, postquam præmiserat, posse commode per interrogationem legi, parva ne sis, subjicit, posse etiam verti, parum est, ut sis, i. e. locum tuum habeas inter Chiliarchas Judæ. Et hoc multum præfert Marckius.
- 14 Quarto igitur omnes præcedentium Interpretationum Autores abominantur audaciam Viri Doctissimi, quem laudavit Ludovicus Capellus, cujusque Epistolam Criticæ suæ appendicem esse voluit, existimantis fol. 447. Matthæum sine punctis legisse צעיר חירי לו minima non es: quæ verba ex punctatorum Masoretharum, & unius literæ Vav transpositione, ita hodie perperam legantur צעיר להיוור minima ad existendum. Capellus, etsi hanc sententiam non parum coactam fateatur, tanquam non contemnendam iterum affert fol. 494. Verum enim vero licentiam hujusmodi Scripturas S. versandi acceptissimam Photinianis, commodam Judæis ad cavillandum recte judicat Frischmuth in Harmonia Michæ & Matth. c. i. §. 9. Et Pfeifferus, non modo ut falsam, sed & pene impiam rejicit.
- 15 Quinto tandem Eduardus Pocockius, Oxoniensis Academiae Professor a Rabbi Tanchuma edoctus, in Notis ad Portam Mosis cap. II. probat vocem צעיר, uti alia vocabula in Codice Sacro, habere significationes oppositas parvi & magni, vilis & exigui ætate, dignitate, & primarii, illustris, Principis, Magistratus, & ex hac observatione sensum facit: Et Tu Bethlehem major es & illustrior, quam ut inter millia Judæ referaris. Commendant interpretationem Hottingerus in Smegmate Orientali p. 73. Frischmuth in Harmonia Michæ & Matth. Cap. I. §. 14. & duo Angli Hammondus & Millius. Non placuit Altingio, Carpzovio, Marckio. Pfeifferus p. 856. objicit; quoniam Matthæus τὸ צעיר Michæ vertit ἐλαχίστη, dicendum esse eandem vocem in eadem sententia contrariam significationem sustinere, seu notare magnum & parvum simul. In Carpzovii Harmonia supra citata, quæ post mortem ipsius prodit ex Delineationibus amplificata, ab imperito repositus est pro Pocockio

cockio Bohlius in Porta Mosis. Utriusque classis Interpretes melio- 16
 res conveniunt Micham & Matthæum consentire: Illum dicere Bethle-
 hem esse מִיכָאֵל בְּלֵהֶם inter mille, qui est modus superlativum circum-
 scribens Hebræis usitatus; Hunc in Superlativo ἐλαχίστην: Micham in-
 telligere Chiliades tribus Judæ, respicientem ad divisionem populi Ju-
 daici in decurias, centurias, chiliarchias, quibus præfecti fuerunt De-
 curiones, Centuriones, Chiliarchæ vel Duces: In Matthæo ἡγεμόνας
 Duces Chiliarcharum Synecdochice poni pro chiliarchiis. Manet ta-
 men hic ex dictis dissensus. Priores enim hæc referunt ad exigium & im-
 minutum Civium Bethlehemitarum numerum, in quo vix nomen chilia-
 dos tueri posset. Posteriores contra dignitatem urbis extollunt, quod
 inter Civitates munitas Juda & Benjamin referatur 2. Sam. cap. XXIII,
 14 seq. 2. Paralip. XI, 6. & adhuc hodie murorum pro seculi antiqui in-
 dole extructorum rudera supersint: quod tot Duces & Heroes, immo
 ipse David Rex Israël, a quo omnes Reges Judæ descenderunt, Bethle-
 hemi nati sint. Vid. Strauch. de Patria Messiaë §. 22. Carpzov. pag. 107.
 Dignitas autem illa adventitia Bethlehemi proventura dicitur a Messiaë 17
 DEI Hominis nativitate. De qua DEUS Pater per Prophetam: יְהוָה
 לֵיָצֵא לְהוֹרֹת מוֹשֶׁה בְּיִשְׂרָאֵל ex te mihi nascetur (is) qui sit Dominator
 in Israël. Quæ in Matthæo sic translata sunt: ἐκ σὸς γὰρ ἐξελεύσεται
 ἡγέμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραὴλ, ex te enim egredietur
 Dux, qui pasturus est populum meum Israël. In his primo supple-
 tur ellipsis particula Hebrææ הָ per Græcam γὰρ; secundo omittitur
 pronomen אֲנִי mihi; quia ad quæstionem de loco natali non pertine-
 bat, quod tamen in nonnullis Codicibus MSS & impressis reperiri anno-
 tarunt Jansenius & Millius: ἐκ σὸς γὰρ μοι, mea voluntate, meo consilio,
 mea virtute, in meum honorem & gloriam: Tertio ἐξ- egredietur, pro-
 dicit per generationem, nascetur qua homo; Matthæus habet ἐξελεύσεται,
 quo verbo Græca LXX viralis versio in Michaë & alibi sæpius usa fuit:
 Quarto מוֹשֶׁה Dominator: quo nomine venit Joseph, Gen. XLV, 8. 26.
 titulus est Messiaë Pf. LIX, 14. XXII 29. quem in vaticinio Michaë intel-
 lexerunt cum Paraphraste Chaldæo post veteres Rabbinos recentiores
 Kimchi, Jarchi, Abarbenel: pauci dubii Zorobabelem substituunt. Pe-
 jor igitur multis Judæis Grotius ad Zorobabelem hæc retulit, nec digna-
 tus est vel minimam Messiaë facere mentionem, cujus cap. IV, 8. agnosce-
 bat adhuc in Zorobabele imaginem, notante Marckio p. 248. Confer
 Calovium in Bibliis Anti-Grotianis. Objectum dominationis dicitur
 Israël, omnes fideles tam ex Judæis, quam ex Gentibus, secundum pro-
 missionem Israëlita Rom. IX, 6. Modum Regiminis non politicum sed
 gratiæ & spirituales, ac pastorali affectu benignissimum declarant per
 ἐπιεὶ ἡγήσῃ addita in Matthæo: ὅστις ποιμανεῖ, qui pascat. Videntur ex
 versu

versu sequente quarto Prophetæ petita a Scribis; inter quos ab Altin-
 gio aliisque Viris doctis ponitur Simeon Academia Hierosolymitana
 post Hillelem Patrem suum caput & moderator, qui Messiam propediem,
 se adhuc superstite, exhibendum esse ex Oraculo didicerat, immo jam
 exhibitum in templo agnoverat, & amplexatus fuerat. Eundem Do-
 minatorem Hominem, simul DEI Patris æterni, filium æternum, &
 DEUM esse, Propheta addit: וּמִצְאָתוֹ מְקוֹם מִימֵי עוֹלָם; sed cujus
 egressiones sunt ante principium, ante dies sæculi. Nomen plurale
 usurpatur ad exprimendam perfectissimam & eminentissimam generatio-
 nem æternam, juxta modum loquendi Hebræorum: ut Psal. XLV, 16.
 שׂוֹרֵר lætitiæ, pro summa lætitiâ Thren. III, 22. חֶסֶדִי benignitates, pro
 maxima benignitate, quod imitatus Paulus Rom. XII, 1. διὰ τῶν ἐνσπεριμῶν
 per misericordias DEI dixit. Accedit æternitas absoluta ingeminatis &
 conjunctis vocibus significata. Hæc ultima commatis verba omissa
 sunt in Matthæo: quoniam Herodes de loco Nativitatis duntaxat quæ-
 18 rebat, quem Judæorum sapientibus sufficiebat indicasse. Ex quibus
 concluditur, Messiam, qui stante adhuc Bethlethemo, & politia Judaica
 nasci debuit, oppido jam diu destructo, & Republica dissipata venisse, fu-
 turumque a Judæis frustra expectari. Jam vero nulli alii characteres
 a Micha indicati conveniunt, præterquam Jesu nostro; quem in ea urbe
 natum fassus est R. Gans in Zemach David Parte II. p. 21. & quidem anno
 ab Orbe condito 3761. sive anno XLII. Cæsaris Augusti, secundum quem
 computum incidit nativitas ejus in tempora R. Simeonis filii Hillelis, de
 quo ante ex Altin-gio. Abarbanel vero Jesum paulo ante destructum tem-
 plum, & R. Salman Zevi sub Pontio Pilato cruci affixum non diffitentur,
 apud Schuedtium in Judæo Christicida pag. 263. O magnam, illustrem,
 O maximam incunabulis Messia omnium Civitatum, Orbis metropolin!
 Affociabimur Religiosis Peregrinatoribus, ibimusne simul Bethlehe-
 mum, ut Nativitatis Christi memoriam fortius imprimamus, & benefi-
 ciorum inde ad homines redundantium mereamur participes fieri. Lon-
 gum nimis iter, periculosum, supersticiosum, superfluum. Quotidie Chri-
 stus in Nazareth concipitur, flore scil. verbi suscepto, & in Bethlethemo iis
 nascitur, qui se domos æterni Patris efficiunt, ait Venerabilis Pontificiis
 Beda. Nisi in Christo nato Pietas DEO grata est nulla. Quod argumen-
 tum Eximius ac Humanissimus Juvenis Studiosus DN. CHRISTIANUS
 WEISIUS, Lips. soboles haut inficienda Parenti Maxime Reverendo,
 oratione festâ eruditè explicabit. Quam ut Illustrissimi Comites gratiosè,
 Procures & Cives Academici benevole, Studiosi florentissimi humane in
 Templo Academico audiant, officiosè & amanter invitamus. P.P. ipso
 Festo Natalitio Anni vergentis c1o 1800 XIX.

Litteris JOH. ANDRÆ ZSCHAU.

61 C 2

10-18

